

menta uerbis scripturae impudenter fucata proponit. Perniciosum insuper est, quod nullam fidem, praeteream, quae in impiis est, agnoscit et quod de remissione peccatorum, de iustitia, salute et uita aeterna dubitare iubet quodque necessarium ad salutarem afflictis conscientiis consolationem hoc commento eripit et falsam hypocritarum fiduciam humanis operibus intentam 5 confirmat, Ezech. XIII.<sup>15</sup>

### De charitate et bonis operibus.<sup>16</sup>

Quia neque frustra neque ad immundiciem sectandam, sed ad oboedientiam et bonorum operum studium et sequelam Deus peccatores iustificat, ideo nec otiosa est nec informida fides coram Deo iustificans et charitatem enim et 10 spem parit et in spe per charitatem operibus uere bonis – id est a Deo mandatis – non segniter praestandis inurgitat. Ad haec omnia, id est charitas ipsa cum reliquis uirtutibus uirtutumque [201:] officiis et bonis operibus uniuersis, uti non sunt in impiis, nec fiunt ab iniustis neque enim putris arbor bonos fructus producere potest.<sup>17</sup> Sic et fidei iustificantis fructus sunt et 15 iustificationis gratuitae effectus non praecedentes iustificationem in iustificando, sed eam sequentes in homine iam iustificato, qui – arboris bonae instar – fructus bonos, coelesti agricola opitulante profert, quibus cum liber Interim iustitiae laudem et iustificandi coram Deo efficaciam tribuit, 20 proprium gratiae Christi beneficium ad infimas hominum uirtutes et imperfecta opera perperam ac contra scripturae sensum transfert. Nec carent tamen sua uel dignitate uel efficacia uel utilitate charitas et quae inde fluunt bona opera, etiamsi non iustificant coram Deo. Quandoquidem alios fines et usus habent, quorum gratia ab omnibus iustificatis accurata diligentia semper et 25 ubique et ad omnem occasionem praestanda sint. Praemia uero, quae benefactis Deus cum pollicetur, tum praestat, quia omnem meriti humani ualorem ac dignitatem superant, liberrima gratiae diuinae dona sunt agnoscenta, ne uel hac parte gloriari possit caro in conspectu Dei. Quod ergo liber de charitate et bonis operibus necessario praestandis dicit, id propter mandatum Dei uerum esse agnoscamus. Cae-[202:]terum quod statuit eadem et hominem 30 coram Deo iustificare et ad salutem necessaria esse, tanquam eiusdem merita, causam et pretium, id falsum esse scriptura conuincit, quae docet, non ex operibus iustitiae seu praecedentibus seu sequentibus salutem contingere, sed Deum secundum suam misericordiam credentes in filium saluos iustos et 35 beatos efficere.

<sup>15</sup> Vgl. Ez 13,1–16.

<sup>16</sup> Vgl. Augsburger Interim VII–VIII, 53–59.

<sup>17</sup> Vgl. Mt 7,17.